



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon Prussiae

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CLVI. De Bello totius Colmensis terrae in secunda Apostasia. De
Morte plurium Christianorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.*

(a) **C**Rinota filius Regis Lethovinorum assumptis sibi pluribus
Caliis gentibus usque ad (b) XXI. millia virorum ad præ-
lium congregavit, & dum appropinquaret terræ Pruschia, divisit
exercitum suum in tres turmas, quarum unam misit contra Mas-
soviā, aliam (c) contra Pomesaniam, & utramq; terram rapinā
& incendio devastavit. Reliqui intraverunt terram Colmen-
sem & præter alia mala, quæ ibidem fecerunt, castrum (d) Bir-
gelovv expugnaverunt, pecora & omnem suppellectilem fra-
trum & eorum, qui ad dictum castrum confugerant, deducen-
tes. Fratres & alii homines in quadam turri se defendentes
sunt salvati.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Jeroschinus habet *Trinote*. Idem habet Auctor Chronici Germ.
Antiq. quo usus est Dn. Zamelius.
(b) Jeroschinus dicit triginta millia. Item Chronicon. Germ. modò
citatum.
(c) Auctor Chronici antiqui Germanici dicit, quod turma illa missa
fuerit in territorium Christburgense, situm in Pomezania.
(d) Est hodie in ditione Thoruniensis Civitatis. Arcis verò illius ex la-
pidibus structæ rudera tantum conspiciuntur. Habuit olim Con-
ventum Fratrum. Henneb. in *Comment.* pag. 32.

CAP. CLVI.

De

*Bello totius Colmensis terræ in secun-
da Apostasia.*

De

Morte plurimum Christianorum.

FRater Heydenricus Episcopus Colmensis dum Capellam Ho-
spitalis infirmorum de Thorun extra muros sitam consecras-
set.

li

set.

fer. Sed Prutheni qui hujus consecrationis præconizationem intellexerant, congregato exercitu, populum post consecrationem recidentem hostiliter invaserunt. Et interfectis viris, mulieres captivas & parvulos deduxerunt.

CAP. CLVII.

De

Combustione Hospitalis Thoruniensis & impugnatione Civitatis.

HOc etiam tempore Sudovita cum majori exercitu, quam antea visus fuit in Pruschia, intraverunt terram Lubovia, & castrum & Civitatem ejusdem nominis funditus destruxerunt. Deindè circa castrum Straisberg manentes, terram Colmensem diviso exercitu præoccupaverunt plura castra, ut populum ad ea confugientem occiderent & captivarent. Post hæc venerunt Thorun & Hospitale & quicquid fuit extra muros quod igne consumi potuit cremaverunt. Tandem venientes ad civitatem Colmensem ipsam per diem & noctem fortissime impugnaverunt, licet nihil proficerent, civibus se viriliter defendentibus ex adverso. Sic dum dictam terram per dies quatuor devastassent, cum inestimabili spolio hominum, equorum, pecorum & aliarum rerum recesserunt. De hoc exercitu quidam vir fortis de Sudovia mulierem Christianam, quæ hoc tempore confugerat ad paludem, secutus fuit, & dum eam vellet trucidare, illa fragilitate sexus sui oblita viriliter restitit, de quo ipse indignatus, pollicem ei cum dentibus præcidit; illa è contra provocata in iram cum luto os ejus & aures implens penitus suffocavit.

CAP.